

TETRANDRIA MONOGYNIA.

spinuloso-sabra. *Petioles* breves, crassi, pubescentes. *Stipulae* interpetiolares, parvae, triangulae, membranaceae, subconnatae, persistentes. *Corymbi* terminales, pauciflori, floribus recurvato-ascendentibus, pulcherrimè rubris. *Pedicelli* breves, bracteati, subpubescentes. *Bractea* binæ, oppositæ, lanceolatae, acutæ, pubescentes, germine duplò breviores. *Perianthium* parvum, superum, quadripartitum, acutum, æquale, persistens. *Corollae* tubus semuncialis, supernè paululùm ampliatus; limbus tubo triplò vel quadruplò brevior, quadripartitus, æqualis, laciniis oblongis, obtusiusculis, patentibus, demùm recurvis. *Stamina* in fauce corollæ, brevissima, antheris ovatis, incumbentibus, cærulescentibus. *Germen* ovatum, compressiusculum, glabrum. *Stylus* longitudine tubi, filiformis, simplex, rubicundus. *Stigma* obtusum, bifidum. *Bacca* ovata, utrinque bisulca, nigra.

Elegantia formæ cum *Daphne Cneoro* certat, nequaquam verò fragrantia. Odor totius plantæ, vel levissimè tritæ, foetidissimus est, ferè stercoreus, ut in *Pæderiâ* et *Serissâ*.

- a. Flos pedicello bracteisque suffultus.  
B. Corolla aucta, et longitudinalitèr fissa, cum staminibus in situ naturali.  
C. Pistillum auctum, cum bracteis et calyce.

PLANTAGO.

*Linn. Gen. Pl.* 57. *Juss.* 90. *Gærtn. t.* 51.

*Psyllium.* *Juss.* 90.

*Calyx* quadrifidus. *Corolla* quadrifida, infera; limbo reflexo. *Stamina* longissima. *Capsula* bilocularis, circumscissa.

\* *Scapo nudo.*

TABULA 144.

PLANTAGO LAGOPUS.

PLANTAGO foliis lanceolatis quinquenerviis remotè denticulatis, spicâ ovatâ hirsutâ, scapo tereti; pilis erectis.

*P. Lagopus.* *Linn. Sp. Pl.* 165. *Ait. Hort. Kew. ed. 2. v. 2. 252.* *Willd. Sp. Pl. v. 1. 644.*

*P. angustifolia*, paniculis lagopi. *Bauh. Prodr.* 98. *Tourn. Inst.* 127. *Moris. sect.* 8. t. 16. f. 13.

*P. κατακρηνη* Græcorum. *Rauw. It. t.* 6.

*Αργυρωπικον μικρον* *Diosc.*